



COLLOQVIVM QVARTVM DECIMVM

Persōnae: Aemilia, Iūlius

Vesper est. Aemilia in peristylō est cum Iūliō.

Aemilia: “Venī mēcum in hortum, Iūlī. Dēlectat mē tēcum ambulāre in hortō nostrō.”

Iūlius: “Mē quoque id dēlectat. Sed sōl iam nōn lūcet. Vesper est.”

Aemilius: “Cum sōl lūcet, nimis calidus est āēr in hortō. Meridiē in sōle ambulāre mē nōn dēlectat, sed vesperī āēr nec nimis calidus nec nimis frīgidus est.”

5

vesperi (*adv*)
↔ māne

Iūlius: “Sed obscūrus est hortus vesperī. Rosae vidērī nōn pos-
sunt.”

10

Aemilia: “Hāc nocte hortus obscūrus nōn est, nam lūna et stellae lūcent. Ecce magna lūna quae suprā montem ascendit.”

Lūnam spectāns Iūlius “Lūna plēna est hāc nocte” inquit “quae est ante kalendās Iūniās. Sed rēs male illūstrantur luce lūnae.
Rosārum color vidērī nōn potest.”

15

Aemilia: “Lūx lūnae hortum nostrum pulchrum etiam pulchri-
ōrem facit. Age, venī mēcum, Iūli!”

Aemilia manum Iūlii capit eumque sēcum dūcit in hortum.

20

In hortō Aemilia “Nōnne pulchra est lūna?” inquit, “Est ut faciēs hūmāna. Ecce ōs eius quod ad tē rīdet.”

Iūlius p̄īmum lūnam spectat, deinde faciem Aemiliae r̄identem:

“Ad mē” inquit “nōn sōlum ōs lūnae r̄idet, sed etiam ōs tuum
rubrum ut rosa.”

Aemilia r̄idēns “Hāc lūce” inquit “color rosārum vidērī nōn
potest — num ūris meī color vidērī potest?”

25

Iūlius rūrsus Aemiliam aspiciēns “Etiam sine colōre” inquit
“faciēs tua fōrmōsa est, Aemilia: oculī tuī ut stēllae lūcent et
dentēs ut margarītae! Atque collum tuum album bene vidētur.
Ō, quam fōrmōsum est collum tuum!” Iūlius collō Aemiliae
ōsculum fert.

ōsculum ferre =
ōsculum dare

Aemilia: “Ō Iūlī! Verba tua mē dēlectant.”

Iūlius: “Ubi sunt margarītae quibus collum tuum ūrnārī solet?”

Aemilia: “Nōnne fōrmōsum est collum meum sine margarītis?”

Iūlius: “Nōn tam fōrmōsum quam cum margarītis! Margarītae tē,
fēminam pulchram, etiam pulchriōrem faciunt. Ubi sunt cētera
ōrnāmenta tua?”

35

Aemilia: “Ecce gemmae in auribus et ānuli in digitīs.”

Iūlius: “Sed collum tibi nūdum est. Ubi sunt eae margarītae,

Aemilia?” Iūlius terram ante Aemiliam spectat.

Aemilia: “Sunt in cubiculō nostrō.”

40

Iūlius, quī margarītās in herbā quaerit, haec verba nōn audit, sed
“Quid est hoc” inquit “quod ante pedēs tuōs iacet?”

Aemilia: “Nōn est margarīta.”

Iūlius id quod in herbā iacet manū tangit atque “Fui!” inquit
horrēns, “Est parva bēstia nūda.”

45

Aemilia: “Quae bēstia? Vīvitne?”

“Hāc lūce” inquit Iūlius “nihil vidērī potest”, ac deinde: “Nōn
ūna, sed quattuor parvae bēstiae hīc iacent. Nōn vīvunt, nam
frīgidae sunt nec sē movent.”

Iūlius corpora bēstiārum rūrsus tangit et ālās brevēs sentit.

50

Iūlius: “Pullī avium sunt. Ō, quam foedī sunt pullī mortui!”

- Aemilia: “Hāc lūce vidērī nōn possunt.”
- Iūlius: “Nōn vidērī, sed tangī possunt. Corpora eōrum nūda sunt atque foeda et sordida, colla longa et nūda...”
- 55 Aemilia: “Mihi quoque nūdum est collum.”
- Iūlius: “Cūr quattuor pullī mortuī hīc iacent?”
- Aemilia: “Interrogā Iūliam: ea respondēre potest.”
- Iūlius: “Eane etiam margarītās tuās reperīre potest?”
- 60 Aemilia “Surge, Iūli!” inquit, “Neque enim necesse est margarītās in hortō quaerere: in cubiculō nostrō sunt. Ī in cubiculum atque affeſ mihi margarītās!”
- Iūlius autem Aemiliam aspiciēns “Margarītās tibi afferre” inquit “necesse nōn est. Sine ḍrnāmentō fōrmōſissimum est collum tuum atque umerī tuī...”
- 65 Hīc Iūlius collō et umerīs Aemiliae ūscula fert atque “Iam venī mēcum” inquit “in cubiculum nostrum!”
- Iūlius manum Aemiliae capit eamque sēcum dūcit i n cubiculum.